



Universitätsbibliothek Paderborn

**Exempla, In Septem Capitalivm Vitiorvm Detestationem,
Per Qvadragesimam, An. 1646. narrata**

Stengel, Georg

Ingolstadij, 1649

§. 28. Varij iræ motus etiam probieribus infesti.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49161](#)

scens, retortâ in tergum caudâ se ipsum interimit. Ad hunc modum exstuant multi, cùm rerum suarum exitum non inueniunt: tunc enim à morte petunt remedium, quasi cum vita calamitates finirent; quas nequam, hac via fugiunt, sed incurruunt, augent, & de breibus ac paruis magnas atque æternas faciunt, more illius, qui ad littus obambulans, ne à pluviaaspergeretur, in mare insiliuit. Patiens non irascitur. Humilis non curat si parui pendatur.

Ad hunc modum ira, à diabolo orta, crescit in homine, ut rationem excæctet, voluntatem præcipitet, consulentes non audiat, nemini, nec Deo, nec ipsi irascenti parcat. Et clemens foret, si in corpus tantùm sœuaret; nunc in ipsam quoque animam est truculenta. Nec debent sibi blandiri, qui se non interemerunt irascentes. Siquidem & sanctorum hominum animas hic affectus subindequatit. Etsi enim illæ tam plumbeas iras non habeant, ut illis semper in Infernum mergantur, grauantur tamen sæpe usque ad Purgatorium. Quàm pauci enim primos statim impatientiæ motus, comprimunt? Quàm rari iram non fouent recordatione iniuriarum? Quàm proclives sumus ad diæta, vel facta-

XXVIII,

VARIT

IRAE MO-

TVS ETI-

AM PRO-

BORIBVS

INFESTI.

aliorum non excusanda , sed deterius inter-
pretanda ? Quàm citò turbamur ? Quàm pa-
rum ferre possumus ? Quàm leuibus rebus
offendimur ? Quàm subitò exclamamus, si-
cūt podagrīci, qui, etiam cùm non tangun-
tur, solent vociferari, ne tangantur ab ijs qui
lecto propinquant ? Quàm ægrè animum ap-
plicamus ad ea cogitanda , quibus iræ igni-
culi extinguitur potius, quàm sufflaminan-
tur ? Quidam penè omnibus rebus offendun-
tur, ob rem nauci se finunt abalienari ; exa-
cerbari voluntatem; imminui amorem & bo-
nam de altero existimationem amaritudine
infici. Quidam aiunt, se non odisse alterum,
sed tantùm non libenter aspicere, non li-
benter colloqui, nō libenter de eo aliquid au-
dire. Quàm expeditus est in multis impetus
vindicandi ? & malum pro malo reponendi ?
occasione data , laudes eius tacendi ? nauos
vulgandi ? à bono impediendi ? ignominiam,
aut pœnas optandi ? tristandi de eius prospe-
ris, lætandi de malis ? &, si de eo honorifica
mentio iniiciatur, aliò sermonem deriuandi ?
contrahendi frontem , & auersum animum,
rugis ostendendi ? aut toruè intuendi ? Ne-
dicam, super eum expuendi ? præ indignatio-
ne non respondendi ? aut respondendi acu-
leatè?

leatè? minitandi? conquerendi? obiurgandi?
 acerbè, ironicè, contumeliosè, cum execra-
 tione appellandi? extorquendi, quis hoc vel
 illud dixerit? quin & percutiendi? manu
 pedeue protrudendi? vexandi? detrahendi?
 diffamandi? discordias spargendi? Hæc qui
 agit, nonne odit? At *omnis, qui odit fratrem* 1. Ioan. 3.
sunm, homicida est. Et scitis, quoniam omnis ho- ^{13.}
micida non habet vitam aeternam in semetipso ma-
nentem. Quare & animam suam occidit, cu-
 ius vita in gratia Dei consistit. Quin & in-
 proprium quoque corpus sœvit, quod neque
 dormire, neque quiescere potest, neque ci-
 bus ei sapit, vt in Aman est videre; denique
 etiam paulatim contabescit. Nonne hoc est
 seipsum & occidere, & perdere in gehennam?
 Si ergo indignamur illi, qui alterum ita ode-
 rat, vt animam cum corpore in exitium mit-
 tendi inuenerit rationem, cur non potius
 nobis ipsis irascimur, quod irascamur; &
 velut cuneo cuneum, ita ira sancta justaque
 iram iniustum & perniciosa pellimus?
 Sic ergo *irascimini, & nolite peccare.* Sic di-
 scite cum omnibus pacem habere. Beatus,
 cui post mortem Mundus epitaphium pone-
 re potest, quale Romæ positum refert Appia-
 nus: **Q. CAVIVS SEVERVS RVTILIAE** Appian.
 PRIMI in Antia

quitati-
bus.

PRIMITIVÆ CONIVGI SVÆ DVLCISSIMÆ,
CVM QVA VIXIT, ANNIS XX. SINE BILE:
aut quale, in agro Nemausensi cernitul.:
D. M. s. SYLVIVS PATERNVS VXORI RA-
RISS. EXEMPLI. CVM QVA VIXIT ANNIS
XXXII. SINE VLLA ANIMI LÆSVRA. S. V. P.
Itaque homini alias etiam religioso, sed im-
patientiæ motibus non satis imperanti dici
potest,

Ouid.
epist. 3.
Heroid.

*Vince animos, iramq; tuam, qui cetera
vincis.*



CAPVT